



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611


Præfatio in diuinem Ecclesiæ Oeconomiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

DIVINA EC-
CLESIAE OECONO-
MIA, ET ALTISSIMUM RE-
demptionis nostræ & ad Cristianif-
mum vocationis bene-
ficium.

*Additis modis ea conseruandi, usq; ad
salutem suam bene
vtendi.*

P R A E F A T I O.

 I adeo prompti essemus
ad recognoscenda Dei
beneficia, ac ipse paratus
est nobis ea conseruare
& augere, facillimè par-
ta dona tueremur, pluraque recipere
mereremur: Verum cum tardiores si-
mus ad gratias pro collatis beneficijs
agendum, ipse quoque Deus in ijs cō-
seruandis, augendisque parciorem se
exhibet. Certissimum quidem est, nos
paria diuinis beneficijs repondere nō
posse; adeoque nec hoc exigit, aut eo
A eget

sal. 15.

eget Deus: Dicit illi psalmista, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: & alibi ipse Deus loquitur,

Psal. 49.

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua, quasi dicat, Sufficit mihi quod benefacta mea mihi accepta feratis, & laudem, ac gratiarum actionem referatis; hoc pacto abunde mihi satisfactum arbitrabor, & quod amplius est regni mei aditu, & parte vos munerabor. Ita hunc locum te intellexisse de-

Bern. de dilig. Deo.

clarat Bernardus, cum ait, *Etsi quantum debeo non possum, non possum tamen ultra quam possum, ideoque etiam in tuo libro inscribentur qui faciunt quod possunt, etiamsi non faciant, quod debent.* Nulla itaque ingratitude excusatio nobis restat, si Dei laudibus pro collatis donis & gratijs desimus; cum hoc solum à nobis exigat quod minimum est, ac facillimè à nobis prestari potest: impedimento quoque esse non poterimus, quin hæc ingratitude Deo displiceat, nosque donis omnibus, & partis favoribus priuet: Docet hoc Augustinus cum Deum ita alloquitur: Domine

scio

Dem scio ingratitude tibi displicere: *August. in*
 est enim vitium hoc omnium malorum *Solit. c. 18.*
 spiritualium origo, ventus exsiccans
 & comburens omnia, atq; fontem in-
 finita misericordiae obturans. *Bernard.*
 Bernardus quodam sermone idem te. *Serm. 51.*
 statur: & alibi dicit, Ingratitudin *in Cant.*
 esse vermem interiora rodentem, e-
 iusque ruinam apud quem hospitatur *& contra*
 causantem: Ideoq; alio loco concludens *Ingratos.*
 ait, *Ser. 2. de*
Mirac. 7.
panum.
panum.
 Oportet hominem gratum esse & deo-
 tum, qui percepta gratia munera, non modo
 manere sibi desiderat, sed & multiplicari.

Si autem nobis vllum beneficium
 sit praestitum, aut vlla gratia collata,
 quae beneficium Redemptionis
 nostrae, & ad Christum vocationis pre-
 cipuum erit; nam caetera sine hoc, aut
 esse non possunt, aut parum prodesse.
 Primum siquidem omnium benefici-
 orum collatorum est creatio, vltimū
 autem conferendorum glorificatio:
 vtrumq; sanè magnum, & magni pra-
 tij vtrumque: Sed post peccatum Cre-
 ationis bonum ita viluit, & gloriae se-
 mitam tanta difficultas obsedit, vt
 nec illud potuerit reparari, nec haec
 reserari; nisi tam hoc, quam illud re-

A 2

demptio-

demptionis nostræ beneficium præstitisset: Vnde sanctus quidam Doctor
S. August. ait, *Nasci parum fuit, nisi datum fuisset
 & renasci;* quasi diceret, parum nobis profuisset corporaliter genitos esse, & in peccato natos, nisi spiritualiter renasceremur, ac gratiâ regenerarēmur. Audiamus precor mellissimum illum, & deuotum Bernardum hac de re ratiocinantem, & ab eo discamus tantum beneficium grata mente retolere. Si totum me debeam, inquit, pro eo quod me fecerit, quæ addam pro eo quod me refecerit? Neque enim tam facile renatus sum, quam natus: Ipse dixit tantum, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt: Verum qui me vno verbo creauit, vt recrearet plurima verba protulit, mirabilia patrauit, & dirissima quæque pertulit, ac tolerauit. Quid igitur Domino retribuam pro omnibus, quæ retribuit mihi? In primo quidem opere me ipsum mihi dedit; in secundo verò se ipsum donas me mihi reddidit. Donatus itaque, & iterum donatus, me pro me ipso debeo, & duplici titulo debeo; quid ergo pro ipso retribuam? nam etsi mil-

lies

lies me ei referre possem quid essem
 comparatus Deo? *Diligam te domine psalm. 17.*
fortitudo mea, & refugium meum. Et hæc
 Sancti illius ratiocinatio, hæc eius re-
 solutio est; scil. tunc nos Deo gratos
 esse, cum Deum amamus, & beneficiū *Bern. Ser.*
 redemptionis ei acceptum ferimus. *14. in Cā-*
tic. Unde alibi nos ad hoc faciendum hor-
 tatur dicens: Considera redemptionis
 tuæ mysterium; laboratum est in eo:
 Qui quidem labor tibi nihilo, Redē-
 ptori autem tuo carissimo pretio ve-
 niit, & cur tua adhuc dormit affectio?
 Quid eam dormire dico quæ mortua
 est? Mortua sane est, cum tanto huic
 beneficio non respondeat: cum se to-
 tam in diuinas laudes, & gratiarum a-
 ctiones non resoluat. Quis enim illius
 affectum dormire, imò mortuum esse
 non iudicet, qui pretiosissimo sangui-
 ne Iesu Christi filij Dei redemptus, il-
 lud ipsum beneficium agnoscere de-
 dignatur? Indigna quidē res est, quod
 tantum mysterium genibus sit stulti-
 tia, Iudæis autem scandalum: Quod
 hæretici & scismatici verbis quidem
 illud suscipiant, sed factis negent: Sed
 quod Christiani & catholici illud ip-

sum negligent, nec debitum ex eo fructum percipiant, res est omnino intolerabilis. Attamen quam multos videmus quotidie hunc errorem committere? tantus proinde dolor eorum est numerus, ut pene sit infinitus: adeoque mirum non est si irascatur aduersus eos Dominus, eosque puniat, & fructu huius beneficii priuet. Psalmista Regius post enumerata varia beneficia, quibus Deus populum Israeliticum de captiuitate Aegyptiaca eductum, & in terram Palaestinae introductum affecerat; & commensurata eorum maxima

Psalm. 77.

ingratitude, poenam subnectit dicens: *Audiuit Deus & spreuit; & ad nihilum rededit valde Israel: Et tradidit in captiuitate virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Atque hoc ipsum est quod

Iosue. 24.

comitijs iam morti proximus illis praedixerat, cum ait, *Deus dedit vobis terram, in qua non laborastis; vrbes, quas non edificastis; vineas & oliuetas, quae non plantastis: Nunc ergo timete Dominum & seruite ei perfecto corde, atque verissimo. & infra, Si dimiseritis Dominum & serueritis Dijs alienis, conuertet se, & affliget vos,*

vos, & subuertet postquam præstiterit vobis bona. Ecce itaque has poenas, quas præter alias multas, huic populo Iosue minatur, & propter ingratitude[m] de facto infligit Deus. Si autem hos ob ingratitude[m] liberationis de Aegypto, & in Palestinã introductionis tã opere ponit Deus, quid ingratis Christianis faciet, quos ab inferno extractos ecclesiã suã inseruit? Liberatio illa Israelitarum nihil aliud erat, quam vmbra & figura Redemptionis Christianorum: corporalis illa erat, hæc est spiritualis.

Caueamus itaq; omnem ingratitude[m], eamq; quod in nobis erit euitemus: Beneficium Vocationis, & Redemptionis nostræ grata mente recolamus, ne ingrati, eo prinemur, ac seruituti Diaboli denuò addicamur, vt plurimis, quod dolendum est, euenire videmus. Modus autem gratitudine[m] excitandi, & colendi præcipuus est, quẽ tradit Paulus dicens, *Fratres videte vocationẽ vestram*; Si enim eam bene perpẽdamus, ac probè perspiciamus, haudquaquã omittere poterim⁹, quin Deo debitas gratiarũ actiones persoluamus.

1. Co-
rinth. v.

A 4

Qui

Qui nobilis alicuius, ac prædiuitis
familix hereditatem adeunt, arcas, ci-
stas, & quæuis repositoria aperiunt, o-
mnia rimantur, scrutantur, & singula
lati, ac gaudentes contemplantur;
maximè autem magnificos honorum
titulos, & magni pretij gemmas, quæ
hereditatis sorte obuenerunt. Nos au-
tem in nobilissimam, ditissimamque
Dei familiam transiuimus, si quis ar-
chiua aperta desideret, præsens libel-
lus hoc ei præstabit. Diligenter singu-
la inspiciamus, ac nos ipsos considera-
tione peruetustæ institutionis nostræ
recreemus; nobilitatis ac diuitiarum
amplitudinem videamus. Et hæc qui-
dem contemplantes, ipsa experientia
discamus, hunc statum ad quem nos
Deus, cum Christianos fieri voluit, &
æcclesiæ suæ filios fecit, vocauit, feli-
cissimum esse, & plurimo fructu ac
consolatione spiritali plenissimum.
Eia ergo status huius felicitatem per-
pendamus; modos in eo proficiendi
addiscamus, vt in eo sicut decet profi-
cientes, de status huius iucunditate
gaudeamus.